

per iudicem ex solo mendacio, licet actor suam esse non probauerit.

61 Dolus negantis requiritur ad hoc, ut conuentus rei vendicatione, negans se possidere, & conuictus de mendacio condemnatur in amissione praedictae possessionis, hoc est, quod sciat se possidere.

62 Dolus requiritur ad hoc, ut quis puniatur de falso vel periuicio.

63 Doli allegatio in accusatione sufficit ad supra proxime dicta, quia probato delicto presumitur dolus.

64 Dolus requiritur in negante se habere patrem vel curatorem, ut teneatur ex suo mendacio, & sufficit doli allegatio.

65 Accusatus de delicto, negans se illud commisisse, si conuincatur de mendacio, an possit ullam defensionem opponere? & num. seqq.

66 L. si non seruatur, nisi earum usu probato, & idem est in legibus styli.

67 Qualiter, qua inest in lege declarata & relata, inesse debet in declarante & referente.

68 L. 100. styli an seruetur Placentia?

69 Reus, qui negauit delictum, quod postea probatur aduersus eum, bene admittitur ad probandum, fuisse factum ad sui defensionem, & si id probauerint, absoluerunt, vel saltem extraxerunt aliqua poena plebetur.

70 Negans se possidere, si reuocet suam confessionem, an priuari debeat possessione conuictus de mendacio?

71 Filius si tempore, quo secum contrahitur, se mentitus est patrem suam datur contra eum in solidum actio.

72 Scholari mutans vel vendens aliquid contra voluntatem patris vel eius, qui illum alit in studio, non potest id repetere a praedictis personis.

73 Mutans scholari, potest de iure communi id a patre repetere.

74 L. 4. tit. 7. lib. 1. noua Recopil. & leg. 22. tit. 11. lib. noua Recopil. declarantur.

75 Mutantes filios studentibus contra voluntatem patris, possunt ab eo repetere expensas pro ea parte, quam pater cum filiis esset domi expensurus.

76 Licitum est sumere argumentum a legibus abrogatis, si tamen ipsae in scriptis sint in corpore iuris.

77 Lex noua generaliter loquens, non corrigit casus speciales antiquae, imo a. l. noua determinatur & declaratur per l. antiquam.

78 L. 4. tit. 7. lib. 1. ordin noui, an hodie sit correctae?

79 D. l. 4. limitatur, si clarissime constiterit, quod pater non prouidebat filio scholari de alimentis necessariis, in studio, & c.

80 Casus in practica contingens circa supra dictam l. 4. Regiam.

81 D. l. 4. loquitur tantum, quando illud, quod mutuatur creditur scholari, est super suum & n. seq.

82 Responso in iure debet intelligi iuxta interrogationem.

83 Aequitas l. si me & Titium, cum similibus, ff. si cert. per.

84 Filiusfamil. cum bona conscientia potest opponere exceptionem Macedoniam.

85 Id fallit, quando pecunia mutua fuit conuersa in utilitatem filiusfamil. talem, ad qualem pater tenebatur.

86 Quando lex civilis fauet lucro in odium tertij, & conuenit quandam rigorem, non est seruanda in foro canonico.

87 Minor iurans simpliciter non contrahere contractum, si decipiatur in praed. contractu iurato ultra dimidiam iusti pretij, minime censetur exclusus ab illo remedio propter dictum iuramentum.

88 Filius vel filia, qui renuntiauit cum iuramento futurae successioni paterna, vel materna aliquo pretio sibi dato vel promisso, si fuerit deceptus ultra dimidiam iusti

pretij, potest agere remedio leg. 2. Codic. de rescind. vendit.

88 Cautela ut iuramentum hunc quoque casum & alios comprehendat.

89 Intellectus ad l. 56. ad fin. tit. 5. par. 5.

90 Concordia inter hanc authent. sacramenta puberum, & d. l. 2. C. de rescind. vend.

91 D. l. 56. par. 1. intelligitur.

92 Enormissima laesio nunquam comprehenditur nec censetur exclusio per iuramentum, quacunque forma praestitur.

93 Laesio contingens simul cum metu reuerentiali, operatur contra actus rescissionem, licet iuramentum conuentioni accesserit.

94 Metus reuerentialis solus non est sufficiens ad rescissionem contractus iurati.

95 Absolutio vel relaxatio iuramenti, an sit necessario petenda, quando est enormissima laesio, nec incurrat periuicium? & nu. seqq.

96 Iuramentum non obligat, quando adest dolus in contractu iurato, sed est nullius momenti.

97 Enormissima laesio, ut per iuramentum excludatur, primum remedium, licet non tutum.

98 Enormissima laesio ut per iuramentum excludatur, secundum remedium, licet non tutum, & in numero sequenti.

99 Velletianum cessat muliere bis pro una eademque persona intercedente.

100 Enormissima laesio ut excludatur per iuramentum, tertium remedium.

101 Clausula generalis, quod plurius est, contrahentem donare propter multa benemerita, & c. non est sufficiens ad excludendam laesionem enormissimam.

102 Clausula consuetae apponi in instrumentis, censetur appositae ex voluntate contrahentium.

103 Minor 25. annorum habens curatorem, sine eius auctoritate contrahens & iurans contractum, remanet obligatus, & contractus validatur iuramento.

104 Minor curatorem habens equiparatur pupillo, & quomodo hinc intelligatur.

105 Argum. a simili data dissimilitudine perit.

106 Minor, curatorem habens non potest deferre alteri iuramentum, & nu. seqq.

107 Iuramentum, de quo in hoc tex., differt a iuramento, quod minor alteri deferret.

108 Adultus non habens curatorem potest deferre alteri iuramentum.

109 Iurans non potest relaxare iuramenti, poterit eam petere, si eam quoque petat ab hoc secundo iuramento.

110 Iurans relaxationem iuramenti non petere cum sola relaxatione a iuramento principali super obligatione, non poterit agere aduersus contractum absque periuicio.

111 Citatio partis aduersae an requiratur ad relaxationem vel absolutionem iuramenti concedendam? & numeris seqq.

112 Praudicium an versetur alteri parti, quando petitur relaxatio a iuramento.

113 Certiorari an debeat de beneficio restitutionis sibi competenti minor, iurans contractum, ut excludatur ab eo? & nu. seqq.

114 Iuramentum super facto extenditur ad omne eius resultans ex illo facto.

115 Leges Regiae ponderantur.

116 Adultus sufficit si iuret contractum hoc modo, quia sum minor 25. ann. maior autem 14. iuro me non contrahentium contractum.

117 Iurare an possint impuberes doli capaces, ut in eis habeat locum tex. in hac authentica sacramenta puberum

118 Iuramentum confirmat quasi contractus puberum, & sic donationem & stipulationum.

119 Confirmat etiam fideiussionem.

120 Donationem a puberibus non possunt nec cum decreto celebrari, nisi certis quibusdam casibus.

121 Donatio minoris ad hoc, ut silentio temporis roboretur, requiritur decennium silentij super legitima aetate 25. annorum, licet alienatio onerosa roboratur per quinquennium.

122 Transactio minoris iuramento ipsius confirmatur, etiam super re immobili sine auctoritate curatoris.

123 Lex correctoria exorbitans & penaliter, ex identitate rationis extenditur fauore aetate.

124 Compromissum factum a minore sine curatoris auctoritate & etiam absque decreto pratoris, valet si iuratum sit.

125 Transactio super re, quae potest alienari sine decreto, valet cum tutoris auctoritate.

126 Minor laesus ex compromisso valido absque decreto & iuramento, potest restitui.

127 Text. in hac authentica sacramenta puberum, procedit etiam in iudiciis.

128 An procedat etiam in muliere litigante in iudicio per procuratorem cum iuramento constitutum: remissionem.

129 Limitatur text. in l. clarum, Codic. de auctor. praesland. quotiescunque minor promisit & iurauit se non contrahentium iudicio, nec sententia ferenda, nec alicui actui iudiciali ratione minoris aetatis, neque alia quacunque ratione.

130 Text. in hac authentica sacramenta puberum, an procedat tantum, quotiescunque minor iurauit specialiter super aliquo actu iudiciali, vel etiam si iurauit in principio iudicij generaliter de seruando totum iudicium.

131 Iuramentum generale minoris, quo affirmat se nunquam contrahentium alicui contractus quem fecerit, an valet?

132 Minor, qui in iudicio confessus est delictum, quando de eo non constat per probationem aliam, quam per suam confessionem, eo ipso censetur laesus & poterit restitui in integrum, non constitio aliter de laesione.

133 An hoc procedat, quando minor iurauit suam confessionem?

134 Text. in hac authentica sacramenta puberum, procedit, quoties praestitum est iuramentum de futuro, & sic de non contrahendo, secus tamen est, quando praestitum est iuramentum de praeterito vel de praesenti.

135 Text. in hac authentica sacramenta puberum, procedit & loquitur in civilibus, secus vero est in criminalibus in concessione minoris iurata.

136 Remissio iniuria facta cum iuramento a minore sine licentia & auctoritate sui curatoris, bene valet, & numeris seqq.

137 Actio semel extincta amplius non reuiuiscit.

138 Remissiones [hoc est perdones vulgo dictae] in causis criminalibus non debent nec posse esse conditionales, & quomodo hoc intelligatur?

139 Restitutio nulli persona conceditur ad accusandum vel crimina obiciendum.

140 Iuramentum syndici ciuitatis constituti, ad contrahendum cum iuramento, excludit restitutionem, quae alias competeret ciuitati & vniuersitati, licet ciuitas contrahendo non sit peritura, quia non habet animam.

141 Respublica & minor equiparantur.

142 Ecclesia tamen bene restituitur aduersus contractum sui procuratoris iuratum, nomine & mandato Ecclesiae celebratum.

142 An idem sit, quando Praetor Ecclesiae contrahit.

143 Adulti contractus iuramento confirmatur, licet iudex interdixerit adulto ne contrahat.

144 Fidei praestatio an firmet contractum gestum per adultum, sicut iuramentum? & nu. 145.

145 Homagium an confirmet contractum sicut iuramentum, & nu. seqq.

146 Homagium est quaedam promissio simplex inter generosos.

147 Intelligitur l. 16. tit. 11. par. 3.

148 Homagium an confirmet contractum, distinctio auctoritatis?

149 Quid sibi velint verba illa apposta per Regem in titulo de las mercedes de las escrivanas, que los tales escrivanos no pueden hazer escrituras, en que se obliguen las partes a buena fe, y sin mil enganos?

150 Agitur de l. 11. tit. 1. lib. 4. noui ordin. Reg. recop.

151 Ratio praedicta l. Regia.

152 Dicit l. Reg. an iuste potuerit condit?

153 Dicit l. Regia merito per Christianissimos Reges Ferdinandum & Elisabelem eius consuegem fuisse reuocatum & de nouo stabilitam, alijs tamen rationibus.

154 Lex vel dispositio qualibet, quando vnicui ratione fundari potest, illa ratio habetur pro expressa.

155 Lilla Regia non loquitur nec habet locum in contractibus, quibus ad firmitatem & validitatem ipsorum contractuum requiritur iuramentum, ut in contractibus puberum.

156 Lilla Reg. non procedit in redditibus Ecclesiarum, & monasteriorum, & pralatorum, & clericorum.

157 Lilla Regia excipit alios casus, in quibus potest apponi iuramentum.

158 Iuramentum apponi posse in scriptura publica testamenti, quoties est necessarium iuramentum, ut dicta in eo valeant in vim contractus.

159 Iudex secularis potest adiri, ut compellat illum, cui iuratum est, ut iuramentum relaxet, quando fuit appositum contra l. prohibentem apponi.

160 Contrahentes, qui iurauerunt scripturam contra prohibitionem legum Regiarum, ut liberentur a pena illarum, qua cautela adhiberi possit.

161 Tabellio non incurrit in poenam illarum legum ex receptione sola iuramenti, sed ex signo a se facto super illo iuramento.

162 Cautela an sit aliqua creditori, cui iuratum est in scriptura contra prohibitionem d. l. Regia, ut ea non obstante habeat & consequatur executionem ipsius scripturae?

163 Creditor non prohibetur debitum petere via ordinaria, probando debitum testibus, quando scriptura iurata exsequi non potest.

164 Declaratur l. 1. tit. 17. libr. 8. noui Recop. & numero sequenti.

165 Dicit l. Reg. an procedat in peierante se in lite.

Authentica Sacramenta puberum, C. si aduersus venditionem.

Pures sunt in iure casus, in quibus iuramentum confirmat, robur viresque praestat actui vel contractui, alias de se inualidis, quorum materiam ipse latioribus alijs commentariis annuente DEO, prosequi intendo. Sed inter eos, duos potissimos declarabo in praesenti quorum praecipuus est text. in authentica Sacramenta puberum, Codice. si aduers. vendit. alius in capit. Quamuis pactum, de pact. in 6. de quo infra separatim dicemus: & horum duorum casuum materiam ideo eligimus, quia frequentior est in practica, in iudicijs, & extra. Ideo inuocato diuino auxilio, ag-

gredior expositionem huius auct. Sacramentum a puberum, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen Iesus. Et in primis quicquid dixerit, submitto correctioni sanctae matris Ecclesiae Romanae.

1 Et pro intelligentia huius text. & infra dicendorum necessario oportet praemitti; Puberes in iure dici, masculos quidem post completum quatuordecimum annum, feminas vero post duodecimum: explorata iuris veteris indagacione, atque in feminis impudica, scilicet per inspectionem habitudinis corporis: ita probat textus expressus in l. si. C. quando tut. vel curat. esse desunt, text. in princ. Instit. quib. mod. tutel. fiat, l. 1. tit. 5. part. 6. text. in cap. puella, 2. q. 2. l. 12. & fin. tit. 16. part. 6.

2 Illud autem hic in transitu praetereundum non duxi, quo tendat differentia haec marium & foeminarum, in pubertate initianda; ut masculi a quatuordecimo anno completo incipiant pubescere, foeminae vero a duodecimo, cuius cotrarium ratio flagitare videbatur, nempe, ut longius foeminis, quam masculis poneretur ad consultandum tempus; cum ipse leuioris sint iudicij & prudentiae. Quia in re nullus scribentium in praedictis locis ordinariis hoc declarat; inuenio tamen Fratrem Dominicum a Soto de iustit. & iur. lib. 7. qu. 2. artic. 2. post quartam conclusionem, pag. 642. column. 1. vers. Hinc autem forsitan nos, & c. dicentem forsitan hanc differentiam constitutam fuisse inter mares & foeminas, quod in foeminis acceleratiuè festinat rationis usus; Fructus enim, quo excelsioris sunt natura, serius maturefcunt: Et quod legitima causa fuit, quod in viro, qui praesse debet uxori, praestantior requiritur prudentia quam in foeminis, quibus gubernatio familiaris non adeo incumbit, praestantior enim sapientia requiritur ad gubernandum, quam ad obediendum, Haec ille, Eandem pene ratione videtur prius sensisse Macrobius lib. 1. in somnio Scipionis, cap. 6. vbi dicit, quod in foeminis maturius festinant vota quam in maribus, & ob hanc causam leges biennium ante in foeminis, quam in masculis adijciunt ad hanc pubertatem iniciendam. Et votorum festinatio appellatur doli capacitas aut malicia etatem supplens. Cuius rei alias rationes ponit idem Macrobius, lib. 7. Satur. cap. 7.

Alias duas rationes assignat gloss. in l. 2. verb. octauum & decimum, C. de his, qui veniam at. impet. quare foemina, cum sit 18. annorum, possit impetrare veniam aetatis, masculi autem non, nisi 20. ann. ut in illo text. dicitur, & prima ratio ridicula quidem est, scilicet, quia herba mala cito crescit, altera coenit rationi supradictae, quia citius est subdola mulier & auara, ut in leg. sed si ego in si ff. ad Velleian. Eandem rationem sequitur ibi Cynus in dicit. l. 2. dicens, hanc esse rationem differentiae, tam in nostro proposito, de quo agimus, quam in casu d. l. 2. quia mulier citius est discreta, quam masculus, quantum ad discretionem, quae cadit in ea, quia eam citius colligit, quam masculus colligit illam discretionem, quae cadit in eo, & rationis huius ratione assignat, quia naturaliter debilius est sexus foemineus & minus viuit, quia minus habet caloris naturalis, ideoque quanto citius finitur, tanto citius naturaliter perficitur, & hanc ratione pro ratione principali differentiae ponit Bartol. in dicit. l. 2. dicens, quod mulier cum sit minoris vitae, quam masculus, citius perficitur, sicut videmus in quolibet animali, quia quanto res est breuioris vitae, tanto citius perficitur, & dicit hanc esse propriam rationem, quam etiam sequitur Bald. ibidem, & Salyc. num. 3 dicens, esse rationem rationis gl. & quod minus habet caloris foemina quam masculus, licet plus caliditatis & humiditatis, de qua re videndus est latissime Tiraquel in l. 9. conubial. per totam, itaque omnes haec rationes in hanc vnam concordant, scilicet, quod citius efficitur discreta foemi-

na, quam masculus, ratione supradicta, eandem rationem, pluribus auctoribus relatis, tam Humanistis & Philologis, quam Iuristis, sequitur Tiraq. in l. 6. conubial. nu. 48. & breuius idem l. 1. nu. 57.

Vnum tamen est, quod respectu aetatis virilis nulla est differentia inter masculos & foeminas, utriusque enim per vigesimum quintum annum egrediuntur aetatem minorem, & ingrediuntur maiorem & virilem post lapsum 25. anni, ita probat text. expressus in l. 1. C. si minor se mai. dix. per quem ita tenet Cyn. in d. l. 2. ad si. & ibi Paul. de Cast. n. 5. & est verissimum & sine dubio.

Respectu tamen matrimonij contrahendi non attenditur numerus annorum, ut puberes dicantur, sed ex habitu corporis, & quod possint generare, iudicatur: itaque etiam ante 14. annum mares sunt apti ad matrimonium contrahendum, si in eis adsit potestas generandi, & eodem modo in foeminis iudicatur, si possint copula carnali cum hominibus coniungi, quo casu malitia (hoc est) discretio supplet aetatem, ut in cap. puberes, & in cap. de illis, el. 2. de desponsat. impub. & utrobique gloss. & Doctores & est expressa l. 6. ad si. vers. Mas por castamento, tit. 1. partit. 4. vbi Greg. Lop. gloss. si refert Beatum Gregorium narrantem in dialogo de puero nouem annorum, qui impraegnavit nutricem, & notat gl. in summa, 2. q. 1. & idem dicit beatus Hieronymus de puero decem annorum, & quod de Salomone traditur in vndecimo anno genuisse filium, & referunt è nostris multi, quos nouissime post huius operis primam editionem retulit Meno h. de arbit. lud. lib. 2. cent. 1. casu 57. n. 33. & tandem concludit ibi cum Abbate & Praeposito in c. continebatur, de desponsat. impub. relinqui hoc arbitrio iudicis, quod satis vult lex illa Regia. Eandem quoque sententiam, scilicet, ut quis proximus pubertati & doli capax relinquatur arbitrio iudicis, relatis opinionibus, inter quas, & communis & Regio iure approbata, tenet beatus declarans Couar. in 4. de sponsalib. 2. par. c. 5. in princ. num. 5. qui nu. 3. declarat bene, quomodo haec malitia intelligatur in matrimonijs ante praedictam aetatem: & numer. 4. refert supradictos casus, & alios, quib. refertur, minores multos ea etate generasse: de quibus & de etate requisita tam marium, quam foeminarum ad matrimonia contrahenda, videndus est late Tiraq. in l. 6. conubial. n. 16 & seq. & Menoch. vbi supra, nu. 29. cum seqq. vbi numer. 4. magis receptam sententiam appellat & veriorem, qua aetate ante 14. annum proximus pubertati quis dicatur, & refert Cou. alibi, & quibus coniecturis tamen ad hoc iudex vti debeat.

Duo tamen circa hoc breuius sunt notanda. Primum, quod sicut malitia supplet etate quoad matrimonium, ut in d. iur. ibi. etiam eadem malitia ante etatem proximam pubertati, ut puta in septennio, vel plus, supplebit etate quoad sponsalia de futuro, iuxta gl. 1. in vers. veruntamen, in cap. Iuuenis, de sponsalib. ita intelligens text. illum: quam solutionem communem esse testatur Abbas ibi n. 4. & Con. illo lib. 4. par. 1. c. 2. n. 1. licet ipse Abb. post Cardin. & Anto. reprobet eundem intellectum, & post eos Praeposit. ibi.

Secundum est, quod superiora dicta in matrimonio intelliguntur & procedunt in matrimonio carnali; secus vero est in matrimonio spiritali, in quo malitia non supplet aetatem à iure requisitam, scilicet, 14. annorum ad faciendam professionem: ita tenet gloss. si. in c. postulasti, de regul. & transeunt ad religionem quae communiter approbatur secundum Couarru. vbi supra, numero 2. Quod tamen sublimitandum est, nisi cum malitia concurreret dispensatio Papae: & ita intelligenda est opinio Bart. in l. 1. in pupillari, nu. 7. ff. de vulg. & pupill. existimantis. Papa dispensare posse super hac etate in proposito, nam debet intelligi in pupillo doli capace,

capace, secundum Aret. ibi. Cuius opinio, optime fundat Franciscus Rip. in l. 2. n. 67. ff. eodem de vulg. & pup. & sic haec est vna differentia inter alias, quae dantur inter matrimonium carnale & spirituale, notabilis fallentia ad d. c. inter corporalia, de translat. pralat. c. simili. vbi statutum est, valere argumentum de vno ad aliud, quam praetermissit, licet alias retulerit Euerard. in topic. legalib. in hoc argum. quod est n. 33.

Hodie vero per sanctum Concilium Trident. sess. 25. tit. de regul. & monial. c. 15. statutum est, ut ante 16. annum expletum non fiat professio, siue in monasterio virorum, siue mulierum, & quod professio aliter facta, sit nulla.

Hic sic breuius praehabitis haec authentica notabilis & famosa est, & est clavis & magistra in nostro iure ciuili, in materia iuramenti contractus firmatorij, secundum Imbertum de Bouenco, Doctorem antiquum, in praesenti, & sumta fuit ex corpore, de pace iuramento formand. §. item sacramenta, & fuit constitutio Federic. Imperatoris, qui postea per ecclesiam fuit reprobatus, ut hic dicunt Dd. & inquit Cyn. hic & eum refertens Paul. de Castro, quod multas animas deducit ad inferos, scilicet, illorum, qui inducunt minorem ad iurandum, ut excludant eos à beneficio minoris aetatis, & multa patrimonium minorum exhausta: & inquit Albericus, quod Imperator Hericus Septimus audiens multas querelas de ista authentica, proposuerat ipsam corrigere, sed morte praeventus non fecit. Quare cauetur esse existimo ab illicita huiusmodi iuramenti exactione, & ne laesa conscientia contrahentes cum minoribus propter laesionem patrimoniorum minorum, ad haec iuramenta faciendi & praestanda inducat, & persuadeant minores ipsos. Iuramentum autem, quando licite praestatur de iure diuino hoc est lege Moisaica, fuit inuentum recte ad obseruantiam & firmitatem contractus: ut patet ex his, quae habentur Gen. 15. c. in princ. vbi dicit text. & iuravit Eisan & viderit primogenitum suum: ita dicit Io. de Anania in c. si. n. 10. de Iudeis, & ex verbis d. c. 25. innuitur, quod haec authentica sumere possit fundamentum ex dispositione iuris diuini, ut inquit Ioan. Lecirer de primogenitur. lib. 3. q. 8. n. 19. dices, notandum esse perpetuo hoc dictum, vol. 13. tract. diuers. D. fol. 114. vbi nu. 18. inquit, quod minor 15. annis cum iuramento potest renuntiare iuri primogeniturae, quod etiam tenet cum alijs Tiraq. de primog. q. 16. n. 7. fol. 335. & iterum q. 28. n. 2. vbi, quod non potest restitui minor ratione iuramenti, & refert & sequitur dictum Ioan. de Anan. vbi supra.

Casus tamen & litera huius textus talis est. Sacramenta puberum sponte facta super contractibus rerum suarum non retractandis, immolabiliter custodiantur: Itaque si minor 25. annis, maior autem 14. (quia hic pubes appellatur in iure, ut supra dictum est) contractum suum, alias inualidum, iuret, validus omnino efficitur talis contractus & custodiri debet, praeterquam si vis vel iustus metus interueniat, quia tunc etiam maioribus subuenitur, ut inquit text. hic in 2. part. Adde, quod text. hic intelligitur, quando iuramentum latissime & in forma plenissima praestatur, non si simpliciter, est magis communis opinio, ut alios allegans dicit Marian. Soc. Iun. conf. 14. q. n. 20. lib. 1. §. Text. hic longam exigit declarationem, sed quia plures Doctores tam antiqui, quam moderni, latissime hanc materiam legunt, imple omnia dicta eorum referam neque transcribam, sed aliqua dubia in proposito praecipua declarabo & procedam per quaestiones.

Primo ergo aduertendum est, quod hic casus iure Regio est approbatus in l. 16. in princ. tit. 1. part. 3. & in l. 6. tit. 6. in vers. Et si mismo seris, vbi Greg. Lop. aliqua in materia ponit.

Secundo est videndum, quid haec auth. addat l. primi. C. eod. tit. vbi dispositum videtur idem, quod in hac auth. deciditur, cum leges omnes debeant seruire de dubio, & aliquid noui adducere, ut in l. quod Labeo ff. de Carbon. edict. & in iure nihil superfluum debet esse, ut in §. quibus, in constitutione. C. cum siml.

In hoc tunc dubio gl. 1. in d. l. 1. refert opin. Vulgar. gloss. 9. factoris antiqui, existimantis, legem Cui eo tantum casu loqui, quo praedium minoris fuit alienatum cum decreto praetoris, & in super minor iuravit, nullam de cetero se facturum controuersiam, quia tunc etiam per viam restitutionis, quae competeret, non praestito iuramento, ut in leg. siquidem, C. de praed. & alijs reb. min. non poterit venire contra praed. alienationem, & sic in effectu dicit, quod praed. l. C. loquitur, quando iuramentum minoris 25. annis accedit contractui valido; licet retractabili per restitutionem, secus vero, si decretum non interuenisset, quia tunc contractus est nullus, & contra legem iuramento non roboratur, ut in l. non dubium, C. de legib. at vero auth. Sacramenta puberum, hoc addit, quod etiam si contractus sit nullus, ut puta non interueniente decreto in alienatione rei immobilis minorum, pro ut requiritur, iuramento tamen confirmetur.

Adde ipse aliud, quod haec auth. amplius disponit, quam lex Codicis, scilicet, quia l. C. loquitur in iuramento accedente venditioni praedij minoris, & sic in hoc casu specialis; authentica vero nostra loquitur generaliter in contractibus rerum minorum, dum tamen puberes sint, qui iurent, non venire contra suam alienationem neque eam retractare: & haec opinio Vulgar. est magis communis secundum Curt. Iun. hic n. 8. & 92.

Sed contra tamen hunc intellectum Vulgari tenet Martinus relatus in d. gl. existimans quod secundum leg. C. alienatio praedij minoris, etiam absque decreto firmetur iuramento ipsius, quia lex illa indistincte loquitur, siue contractus sit nullus, siue validus, & quod lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, ut sunt iura vulgaris, qui intellectus Martini communiter approbatur à glossatoribus nostris, & à Doctoribus Citramonta. secundum Jak. hic n. 3. & approbatur hodie in hac authen. dum dicitur in ea, Immolabiliter custodiantur: non faciens distinctionem, an sint validi, vel nulli, licet Cynus hic n. 9. dicat, quod mundus errando sequitur hanc opinionem Martini.

Beneficentiam verum est, quod si recte consideremus ista verba huius authen. tantum videtur loqui in contractibus validis iuramento puberum firmatis, dum dicit: Super contractibus rerum suarum non retractandis: Praesupponitur igitur videtur, quod contractus sit validus, quando quidem minor iurat non retractare: Nam quod nullum est, rescindi non potest, etiam citra iuramentum, ut in l. nam & si sub conditione, ad si. cum similib. ff. de iniur. rupt. §. condemnatum, ff. de re iud. quia priuatio praesupponitur habitum: ut in l. stipulatus, cum similib. ff. de verb. oblig. neque in integrum restitutio necessaria est, ut sunt plurima iura vulgaris: Ergo cum text. noster dicat, puberes debeant iurare se non retracturos contractus rerum suarum, constat, loquid de contractibus validis: nam alias non esset necessaria retractatio ad inualidum contractum, sed tamen petere declarari nullum. Sed hoc non obstantem, in contrariam sententiam itum est communiter per omnes Dd. imo, quod haec auth. loquatur etiam in contractibus minorum in se nullis, puta quia non interuenit decretum iudicis cum causae cognitione in alienatione rerum immobilium minorum, vel auctoritas curatorum in obligationibus puberum, vel in alijs contractibus super rebus immobilibus.